

6

CHARITES  
SIVE  
**G R A T I A-**  
**R V M A C T I O P R O L I-**  
berali instauratione ædificij  
scholæ Marianæ Dantisci,

**D E O O P T: M A X:**  
ET  
Amplissimis, Spectabilibus & ho-  
noratis, Senatui, Scabinis, & Curatoribus  
templi Mariani:

**P V B L I C E H A B I T A**  
in eadem schola  
viiij Idus Ianuarij  
sub initium annj

---

M. D. LXXXII.

a  
M. Valentino Schreckio. V.

IN SIGNIA REGIÆ CIVI-  
TATIS GEDANENSIIS.





IN REGIÆ CIVITATIS  
DANTISCANÆ INSIGNIA,  
EPIGRAMMA

M. Valentini Schreckij.

Ante alias celebris, quas Prussia continet, Vrbes.  
Exuperans Gedanum nobile nomen habet.  
Hanc buere Vrbem Mariano ex ordine fratres,  
Quorum sunt dupli signa notata cruce.  
Inde Polonorum cessit custodia Regi  
Vrbis, ut à Prussis Ordo repulsus erat.  
Regis ab imperio gerit Vrbs hæc ergo Coronam,  
Ordnis imperium crux geminata notat.  
Nobilis Vrbs salve, STEPHANO sub rege beata;  
Tuq; potens tanto Rex memorande bono.  
Tuscura tuis facis ocia ciuib; : illa  
Vrbs est Imperij vera Corona tui.



INSTAVRATIO SCHO-  
læ facta est Anno salutis

1581.

BVRGGRAVIO  
D. Georgio Rosenbergio

PRÆCOSS:

D. Reinholdo Molnero. Et.  
D. Iohanne von der Linden.

SUPREMO procurationis templi  
Mariani INSPECTORE  
D. Constantino Ferbero.

ET EIVSDEM TEMPLI  
Curatoribus

Petro Bartsch  
Hermanno Haack  
Georgio Molnero &  
Iohanne Brandes.



AMPLISSIMIS  
MAGNIFICIS, SPECTABILIBVS  
Honoratis & Integerrimis viris

D.D. BVRG GRAVIO, PRÆCON.  
Julibus et Consulib<sup>o</sup> Regiæ cūitatis Gedanensis

ET  
D.D. SENIORIBVS ET SCA.  
binis Iudicij ciuilis primariæ cūitatis  
ibidem

ET  
CVRATORIBVS AEDIS AD  
D. Virginem matrem Gedani:  
Dominis suis & patronis  
plurimum colendis  
S.



AGNVM Christianæ  
Reipub: decus atque ornamen-  
tum esse & præcipuum Dei  
cultum, scholas recte constitu-  
tas, Amplissimi, Spectabiles &  
integerimi viri, non tam sacræ  
& prophanae literæ, quam consentiens doctorum  
& sapientum omnium iudicium, rerumq<sup>z</sup> maxi-  
marum ysus testantur:

A 3 Etenim,

Etenim, cum quasi officina quædam sint scho-  
læ, in quibus literæ & artes, humano generi diui-  
nitus monstratæ, excoluntur, & ad posteritatem  
transmittuntur, per quas eximia & singularia  
Dei dona in omnes vitæ humanae gradus, siue in  
Ecclesia, siue in gubernatione politica, siue in pri-  
uata cuiuslibet hominis vita, latissimè sparguntur,  
præclarè nimirum quisque intelligit, Ecclesiæ pa-  
riter ac Reipub: sicut & vitæ priuatæ felicitatem  
puerili disciplina ludoq; literarum contineri.

Ideoq; omnibus temporibus inuenti sunt viri  
heroici & sapientes, non tantum in populo Dei,  
sed etiam in omnibus alijs benè constitutis Rebusq;  
qui tantorum honorum officinas siue scholas insti-  
tuerunt, & studia literarum magna liberalitate  
& illustribus præmijs excitârunt atque ornârunt.  
Videbant enim, sine religione, sine legibus & iudi-  
cîs, nec teneri Respub: nec congregari cætus homi-  
num gubernariq; posse, si negligerentur honestæ in  
scholis literæ, ex quibus optimæ leges procreatæ  
sunt, nati boni mores & humanitas, per quas pro-  
pagata religio ad nostram hanc ætatem conseruata  
est & custodita. Et reuera hæc ita se habent, vt  
si historias imperiorum repete re velimus memoria,  
liquidò non obscurè intelligi possit, etiam optimas  
Respb: tam diu floruisse, quam diu ingenuarum ar-  
tium

tiū & scholarum diligentem curam habuerunt :  
Econtra qui eas nelexerunt, gubernationis suæ cur-  
sum minus feliciter tenuisse & administrasse.  
Cuius rei exempla, quia nemini possunt esse ignota,  
& ab alijs ex professo annotata & literis mandata  
sunt, breuitatis causa sciens hic prætereo. Certe  
omnes sani homines intelligunt, non vlla propug-  
nacula aut mœnia firmiora urbium munimēta esse,  
quam eruditione, prudentia & alijs virtutibus  
prædicti ciues, qui ab ineunte ætate sic instituti sunt,  
vt honestis studijs & actionibus, laboribusq; qui  
cum honesta utilitate coniuncte essent, delectari  
assuererent, neque enim fieri potest, vt quissiam  
utilis Reip: ciuis euadat, qui vera religione &  
bonis artibus non imbuitur, quandoquidem si Cice-  
roni creditimus, nulla alia sunt rudimenta & incu-  
nabula virtutis, quibus animi hominum ad pietatem,  
iustitiam, & rerumpub: gubernationem ac-  
cenduntur: Ut non immeritò Diogenes Pythagō-  
ræus fundamentum Reipub: esse dixerit, adole-  
scentiæ educationem. Et grauissimè reprehendit  
præpostoram quorundam hominum curam, qui quo-  
pacto vites putari ac canes educari debeant, obni-  
xè student, ingeniorum autem humanorum cultum  
negligenter & temerè tractant, quamuis vinum &  
canes nō regant cūtitatem, inquit, sed homo & ho-  
minis animus.

Hac

HÆC cum pro summa vestra prudentia,  
Patres, optimè intelligatis, rectè & præclarè faci-  
tis, qui heroum & præstatiſſimorū virorum exem-  
pla ſecuti, non vnuam tantum in hac ciuitate scho-  
lam puerilium ſtudiorum iſtituistis, ſed quæ eſt  
hominum in amplissima vestræ Reipub: vrbē fre-  
quentia, ſingulis ferè templis, ſingulos ſcolasticorū  
cœtus coniunxitis & conſeruare ſtudentis. Quo qui-  
dem beneficio primum de patria, deinde etiam de  
vicinis & exteris hominibus, quorum ſtudia ad di-  
ſcendum excitatis, egregiè meremini, nomenq; vo-  
bis immortale, et gloriā ſempiternam apud poſte-  
ros comparatis. Quod ſi enim Vetuslas perpetuos  
decreuit honores illis, qui fruges & meliorem vi-  
Etus rationem hominibus oſtenderunt: multo ma-  
jorem, ſi vera bona recte estimare volumus, hono-  
rem & gratiam merentur illi, qui, vt optimarum  
rerum doctrina inter homines patefiat & trada-  
tur, ſua prudentia & autoritate efficiunt. Suntq;  
aſſuefaciendi homines, preſertim illi, qui in ſcho-  
lis per honestas disciplinas ad virtutem educari de-  
bent, vt ab ineunte ætate benemeritis gratiam ha-  
bere diſcant, ſcholas enim, vt cæterarum virtu-  
tum: Ita maximè gratitudinis officina eſſe decet.

Ego itaque, vt ne meo hac in parte officio  
deſſem, cum ſcholæ Marianæ, cuius administra-  
dæ in

dæ in hac vestra ciuitate mihi demandata est cura-  
tio, ædificium, quantum eius maximè fieri potuit,  
vestra benevolentia, & singulari in rem literariam  
fauore, satis commodè hactenus sit instauratum,  
reparatumq, volui huius honestissimi facti aliquā  
apud auditores meæ institutioni commissos exci-  
tare memoriam, quam cum hisce diebus præsenti  
hoc carmine institutam, in quorundam ex am-  
plissimis & spectabilibus vestris ordinibus præsen-  
tia, publicè in schola nostra celebrasse, & hoc  
nostrum institutum à viris doctis & candidis mi-  
nimè improbari intelligerē, putauit me amplissimæ  
vestræ Reipub: & nominibus vestris hoc debere,  
vt publicum gratitudinis nostræ scholæ, pro vestra  
in reandem benignitate & fauore, extaret testimo-  
nium. Quod officium quanumuis leue possit vi-  
deri, tamen quia significationem habet gratæ men-  
tis ex animo optimo vestriq, studiosissimo profectā,  
nihil dubito, quin quicquid huius à me factum est,  
fauoris vestri benevolentia sitis complexuri, idq,  
vt faciatis, omnes & singulos, qua debo animi  
obseruātia, summopere & reuerenter vos oro, De-  
umq, Optimum Maximū cōmunib[us] scholæ nostraræ  
votis ex animo precor, vt diu florēt seruet hanc  
Rēpub: quæ hospitia præbet Ecclesijs & scholis:  
Vestraq, pectora in hac negotiorū mole & difficul-

B

tate

tate gubernationis, luce suæ sapientia perfundat,  
et Spiritu heroico regat ac gubernet, ut omnia  
vestra consilia et actiones publicæ et priuatae fe-  
licem sortiantur exitum, ad nominis diuini gloria-  
m, et multorum salutem. In regia vestra ciui-  
tate ex ludo Mariano viij. Idus Ianuarij, Anno  
temporis nouissimi 1582. qui ut felix sit fau-  
stusq[ue] orbi Christianorū, præsertim vero his  
terris, et ciuitati huic, singulorumq[ue] in ea  
familys, faxit ille, qui vices temporum  
et annorum condidit.

Vestræ amplitudinis  
Spectabil: & hono-  
ris studiosiss:  
cliens

M. Valentinus Schreckius.



GRATIA

GRATIARVM ACTIO  
pro instauratione ædificij scholæ  
*Marianæ,*  
CARMINE HEROICO HABITA.

S Ollicitas inter curas, & grandia rerum  
Pondera, quæ fasces vltro comitantur, & Ur-  
Moles sua pceres vrbis, sanctumq; Senatum, (gent  
Omnia dum fatis recto contraria currunt,  
Et senio confecta gemunt: dum sidere lævo  
Obiciunt varios sua cuique negotia casus,  
Et vix ad grauiora sinunt se attollere mentes:  
Quod tamen ingenuas curare fideliter artes  
Non piget, ac castis tecta instaurare Camœnis  
Hospita, vbi docilis, vera in pietate, Iuuentus,  
Atque in linguarum studijs, terat ocia vita,  
Egregiae est virtutis opus, nomenq; meretur  
Æterno æternæ coniunctum laudis honori,  
Et successuris olim memorabile seclis,  
Quod gratæ celebrent venturo tempore Musæ,  
Quodq; probent Charites, quarum cōiuncta colebat  
Templa Heliconiadū templis, reuerenda vetustas.  
Namque pijs meritis erga studia optima, & artes  
Pierias, meritò debetur gratia: nemo  
Qui Musis aliqua exhibuit benefacta, patronus,

## GRATIARVM

Carmine Musarum victuro indictus abiuit.

Ergo pia Patrum cura, & præstantibus orsis,  
 Iudicio accidente graui assensuq; Senatus,  
 Quando haud exquis studiorum sumptibus ædes,  
 In quibus Aonidum casti informantur alumini,  
 Comoda iam tandem præbent habitacula cætus  
 Discentum, & culto doctrinas ore sonantum:  
 Nos, quorum officiū est, inter rudit agmina pubis,  
 Virtutem illustrare pīs pro tempore factis,  
 Ignarosq; animi sensus inflectere dictis,  
 Pauca super procerum impensis, animiq; fauore,  
 Erga inopes, tristi hoc in rerum turbine, Musas,  
 Dicemus, memoriq; scholas pietate feremus.  
 Non pol vt indignum, resplendens gloria fuso  
 Extollat quenq; vel palpum inducere tentem:  
 Sed tenera vt pubes, benefacta à turpibus ausis,  
 A stabulisq; scholas, rectè discernere, & aqua  
 Mente pīs discat meritis perfoluere grates.  
 Audiat Inuidia, & carpat: carpatur & vna,  
 Atque sua ipsa sibi vindex sit pœnafuroris.  
 Fama est Aonides, circum Penēia Tempe,  
 Et montes habitasse sacros, & amœna vireta,  
 Largus vbi campos æther & lumine vestit  
 Auricomos, solisq; iubar sepe altius effert,  
 Inter Hamadryadum choreas, mollesq; Napæas,  
 Fundit

## ACTIO.

Fundit ubi varias rerum Natura creatrix  
 Delicias, Charitumque chorus per mutua nexus  
 Brachia, festino resonat noua carmina plausu,  
 Et volucres suavi demulcent aera cantu,  
 Castalios iuxta fontes, & flumina sacra  
 Phocidos, Aonias ubi Pegasus eruit vndas,  
 Plurimaque aestuum prohibent umbracula Solem.  
 Nec ratione carent datum mysteria: putros  
 Pulcra decent, studijsque sua est tribuenda voluptas,  
 Comunes hominum quae passim operantur ad usus,  
 Et pietatis opus vitamque tuentur & ornant  
 Mortalem, choreisque homines celestibus addunt:  
 Haec vulgo eximere, & loca lata, docentibus apta  
 Excolere, & doctos illis imponere coetus,  
 Mos erat, infedis ne degant sordibus cauum,  
 Neue animis noceat teneris grauis aura, lociue  
 Incultus segenius per tenuia soluat  
 Corpora, & hinc aliqua sensus affligat inertes,  
 Qualia diuini vates coluisse feruntur  
 In populo Isacidum quondam loca, amenaque rura,  
 Cis Iordanis aquas, & sacram Gilgalis oram,  
 Sponte ubi fragrantes spirabant balsama campi,  
 Atque salutiferas benevolentis germinis herbas  
 Fundebat tellus: aut quales culta recessus  
 Parthenope studijs Musarum praebevit, illa

Parthenope, magni quæseruat busta Maronis,  
Atque Acheloiadum est ubi cōdita maxima Siren,  
Ad ripas Sebethē tuas, ubi propter amēnas  
Theſpiadum sedes, fortunatosq; labores  
Tradentum doctas, ausis insignibus, artes,  
Ingenium excolere, & corpus curare solebat  
Docta corona virūm, & doctrinis addita pubes.  
Talis erat Tarſi studijs accommodaſedes,  
Quem gelidus rapidis Cydnus præterfluit vndis,  
Inter florigeri viridaria mollia campi,  
Gnaua ubi doctorum pendebat ab ore Iuuentus,  
Atque exercitijs Muſarum affueta vacabat,  
Naturæq; ſimul laſas in corpore vires  
Lota ſalutiferis Cydni reparabat in vndis.  
Attenuatur enim studiorum mole grauatum  
Corpus, & oppletur prauis humoribus aliis,  
Hinc cerebri languent vires, virtusq; fatigens  
Ingenij, mentes hebetat, ſenſusq; retundit,  
Pallor in ora venit, ſubeunt mala ſemina morbi  
Diuerſi, & ſcabies membris infesta recursat,  
Afflitgitq; graues cura vigilante labores  
Discentum: ſed quos natura exculta locorum,  
Temperiesq; poli, ingenijq; accommodus æther  
Incolumes feruat, reficitq; in mente vigorem,  
Atque habiles vires naturæ dotibus addit.

Hinc

## ACTIO.

5.

Hinc Heliconis opes, & opacæ flumina Cirrhae,  
Parnasiq; iuga, Aoniæq; Aganippidos vnde,  
Et lauri nemus umbriferum, cultiq; recessus  
In gelidis Pindi vel amoenis Vallibus Hæmi,  
Et quæ præterea memorantur carmine natum  
Culta situ loca, Pierijs habitata Camœnis.

Quod verò quondam tecta hæc incondita stabant,  
Informiq; situs qualebant pressa, quod aer  
Lustrabat raro penetralia casta nitore,  
Ipse suos etiam radios, sua lumina, Phœbus  
Inculto sine honore loco præbere negabat,  
Atque ideo in tenebris, atrisq; in sordibus, olim  
Tristis ubi patulas fœdo cum puluere nares  
Inficiebat odor: studia exercere licebat,  
Atque rudes iuuenum mentes formare docendo:  
Scilicet hæc acti debentur moribus œui,  
Quando supersticio & falsæ pietatis honores,  
Omnibus in templis impunè, atque omnibus aris  
Iura dabant, & amœna sacris loca debita Musis,  
Indoctis hominum sunt fecibus addita, quorum  
Omnis agebatur clausis vita abdita cellis,  
Mollia ubi resides ducebant ocia, & umbras  
Captabant, genioq; pigri Veneriq; litabant,  
Et stipis æra sacre vertebar ventris ad usum,  
Tunc neglecta stetit res & pia cura scholarum,

Musarumq;

Musarumq; decus, quarum resoluta ruinam  
Tecta minabantur passim, quando vnis & alter  
Sensa animi in claustris tantum perplexa docebat,  
Barbariemq; rudem: cultus tunc omnis, & omnis  
Sumitus in ingluviè mystarum, & fictilibus dijs  
Stabat, & erecta templorum in mole, quibus se  
Vana Idolorum iactarent numina, & aure  
Propitia acciperent vota exaudita precantum.  
Namq; alia vt taceam manifesta exempla per orbē,  
Quod nostræ è regione scholæ est, en spicè Templū,  
Sacratum puræ Christi genitricis honori,  
Quæ mole ferat, quantis ad sidera duætum  
Sumptibus emineat, niueis sublime columnis,  
Totq; opibus clarum nuper, dum iura sacrorum  
Romanus tenuit præful: tum condere sedes  
Has pauci valueré, atque hæc immania tecta  
Ponere, mystarum tot pigros pascere ventres,  
Quorū haud sufficient multæ nunc sumptib. vrbes:  
Interea exiguum Christo qui struxerit aram,  
Aut veræ sedem pietati, artesue professis  
Ingenuas, sumitu æquali impensaq; locârit,  
Tempore nemò fuit illo, fuit hercule nemo.  
Nunc postq; enituit pietas in simplex verbo,  
Doctrinaq; Dei, sacris è fontibus hausta  
Israëlis, vbi dècessis luce tenebris

Aetheria,

## ACTIO.

7.

Aetheria, fraudes commentaq; vana Papatus,  
In multis cecidere locis, & lumine verbi  
Vicla abiēre fuga, simul & studia optima lucem  
Accepere suam, & redijt decor artibus vltro  
Aonyjs: sunt tecta p̄ijs simul hospita Musis  
Extracta, atque nouo passim exornata nitore.,  
In quibus egregia iuuenes formentur ab arte  
Ut verbi ius̄is assueti, & moribus æquis,  
Vitam agitent, regijs Deūm famulantia præstent  
Officia, humanus passim quibus indiget ysus.  
Hoc fine haud studijs dom° vna hac cernitur vrbe  
Condita, & haud paruos sumtu deducta sub auras,  
Donec sera scholam hanc tandem fortuna iacentem  
Respexit, longoq; eadem post tempore venit:  
Respexit tamen, atque aliqua cum laude reduxit  
Deformiformam ludo: fundamine perstant  
Tecta suo, non his turbati iniuria cœli  
Tempestasue nocet, non nubilus officit aér,  
Nec studijs iuuenum doctisq; laboribus apta,,  
Quæque suo disiuncta loco, penetralia desunt,  
Lumine quæ Eois Phæbisurgentis ab yndis,  
Vel cœlo in medio spacium sublime tenentis,  
Hesperium currū vel declinantis in æquor,  
Collistrata nitent, longoq; sedilia complent  
Ordine dissentum, quos casta ad limina duxit

C Laudis

Laudis amor, studiumq; sagax & cura parentum.  
Nam neque se tantum nostra hæc Resp: iactat  
Mænibus, aut portu mutandis mercibus apto,  
Aut gaza, Hesperijs quam nauita portat ab yndis,  
Quantum præclaro Musarum munere, & arte,  
Qua pictas viget, atque animos pulcherrima virtus.  
Imbuit, imbutosq; poli super æthera sistit.  
Hinc neg. cura Patrum sumtuue operæne pepercit  
Phœbeas aperire scholas, Musisq; trophæum  
Ponere, ab ingenijs doctorum, atque artium honore.  
Dumq; lares alij laribus coniungere tentant,  
Et fundos fundis, & lati iugera campi  
Iugeribus: vel magnificas ad sidera moles  
Educunt, sumtu ingenti, redditusq; coarctant,  
Quos alij impendunt aleæ, trucibusue Molossis,  
Argentumue habitu Menadum profundere gaudent,  
Orgiaq; & seram in noctem coniuicia tractant,  
Nec Musas curant inopes, neque tecta scholarum:  
Interea proceros, quorum sub pectore vertit  
Omnipotens stimulos, & honestis motibus implet,  
Ne doctrina, pia & morum cultura labascat:  
Decidua Aonijs instaurant tecta Camœnis,  
Hospitiumq; bonis studijs atque artibus aptant,  
Nil veriti quod rem patriæ fors aspera duro  
Bellorum attrinit motu, atque auerit opum vim

Ex

Ex alia clades clade, & spem sorte fefellit:  
Nec quod erant censuſ vrbis, pro tempore, rebus  
Impendendi alijs, patricæ quas postulat vſus.  
Mentibus hæc potior sententia fixa resedit,  
Sacra dicata Deo, deberi impendia sacris  
Vſibus, hinc quibus extollat ſe gloria cœli,  
Atque Dei cultus hinc vſque ad ſidera noti  
Ritè propagentur, ſtudijſ famulantibus intra  
Alueolos caſtæ pubis, que in flore iuuentæ  
Sancta rudimenta arcanæ pietatis, & artes  
Egregias, animo docili, ſtudioq; fideli  
Excipit, incumbens operi: ceu tempore veris  
Hyblææ exercentur apes, cum gentis adultæ  
Educunt fœtus: aut cum per florida rura  
Vel cithysi flores carpunt, vel roſcida lambunt  
Cum violis thyma, cerynthesue ignobile gramen,  
Aut dulci vacuas diſtendunt neſtare cellas,  
Feruet opus, operiſq; labor redit actus in orbem.  
Nec proceres olim teclæ hæc reparasse pigebit,  
Cum ſe terrarum partes diſfundat in omnes  
Doctrinæ ratio, & ſtudiorum maximus vſus,  
Quem docti monſtrant homines, artesq; ſcholarum  
Ingenue, quales diuūm pater atque hominum rex,  
Diuina proprieſ mentis de luce refundens,  
Egregijs animis hominum donauit habendas,

Rimarique polum, & naturae arcana tueri  
 Iussit: ut his ducibus diuina potentia, passim  
 Cognita, mortales magnum super aethera ferret,  
 Noticiamque Dei veram illustraret in orbe,  
 Vitaque praesidium & normam mortalis haberet.  
 Artibus ex illis: quarum si dicere tentem  
 Commoda, destituent sicco me verba palato,  
 Istuleoque prius numerabo in littore fluctus,  
 Diuersi quoties insurgunt flamine venti,  
 Quam res immensas doctrinæ atque artium honores  
 Carmine complecti, & dicendo exponere possim.  
 Sicut enim tenui tenues e fonte liquores,  
 Quos fouet arcano terra natura meatu,  
 Exiliunt primum, vicinaque ingera lambunt,  
 Mox sese attollit, plenoque exuberat alueo  
 Annis, & hinc late Campos & prata pererrans  
 Pinguia distribuit diuersis pabula terris,  
 Plenaque distendit fecundans horrea messe:  
 Sic haustæ exiguis ludorum e fontibus artes,  
 Quamvis despectæ vulgo, & sine nomine primum  
 Os animumque simul formant iuuenilibus annis,  
 Mox tamen erumpunt, late & sua cōmoda terris  
 Ostentant, vitaque ferunt mortalium, in orbe  
 Immensos fructus, quibus aeternæque salutis,  
 Virtutumque animi ratio, & bona publica rerum

Primitus

Priuatis hominum rebus coniuncta feruntur:

Quippe Dei cultum, veræ & pietatis honorem  
 Discere quis posset? vel qua ratione docere?  
 Si non linguarum studia, & ratio optimafandi  
 Subsidio veniat, verosq; in lumine verbi  
 Diuini extundat sensus, fontesq; recludat.  
 Quis contra errores prauos, sensumq; sinistrum,  
 Doctrinae lucem, & diuina oracula verbi  
 Afferere, & se se falsis opponere dictis  
 Ausit, egens usu sermonis, & arte loquendi?  
 Nec verò incorrupta potest doctrina teneri  
 Cœlestis verbi, nisi fandi copia, & arte  
 Multiplici: in ludis quæ si neglecta ferantur,  
 Tum fera barbaries paulatim inuecta a crororum  
 Cultibus, obscurat Verbum, quo sidera adimus,  
 Et compleat latum tetricis erroribus orbem,  
 Sic exempla docent clapsi obvia seclis,  
 Quando extincta ferè tenebris doctrina iacebat  
 Ante oculos, spreta studiorum indagine nuper,  
 Vana Supersticio pañim se intulit orbi,  
 Objiciens animis nubem mortalibus, almaq;  
 Eripiens illis certi solatio Verbi,  
 Et meritum Christi ficta pietate prophanans.  
 Sed pater omnipotens cum verbi reddere lucem  
 Vellat, & è tenebris proferre in luminis oras

Verum doctrinæ sensum, normamq; salutis,  
 Tunc prius in ludis artes linguasq;, per ora,  
 Scriptaq; doctorum, sub apertas eruit auras,  
 Barbaries dedit acta fugam, passimq; per oras  
 Regnorum, pietas animis sincera refulsa,  
 Et puræ à falsis nituerunt cultibus aræ.

Quis verò ignarus doctrinæ, ignarus & artis,  
 Rite salutares subiecta per oppida leges  
 Condat? & imperio diuinae semina pacis  
 Imponat? populumq; æqua ditione gubernet?  
 Quādo haud quod libeat, sed quod fecisse decorū ē  
 Frenantem populos decet, ac data scēpta tenentem,  
 Nec regnis pax est, timido coniuncta pudori,  
 Commoda, nes sumtis violentia semper in armis  
 Iusta, nisi è studijs manans sapientia mentem  
 Instruat, armorumq; usum moderetur honesta,  
 Imperij ratio: quod Palladis aurea quondam  
 Frena monent, quib. ausus equū in sublime volante  
 Bellerophon domuit, cursumq; inhibere coēgit.  
 Nam studia, inuētrix quorum Ioue nata Minerua  
 Est habita, affectus rapidos ratione coērent,  
 In gyrumq; trahunt: cum regnis pulsā, nefandos  
 Desereret mores hominum, postrema deorum,  
 Astræa, in castis tradentum dogmata ludis  
 Hæsisse, ac sedes hīc inuenisse quietas

Dicitur,

Dicitur, unde hominum generi præcepta, modumq;  
Præscribit Vitæ, & ius illis fasq; ministrat.  
Felices populi, felicia regna, quibus dant  
Iura magistratus, bac qui didicere magistra  
In sanctis pia iura scholis, certamq; regendi  
Imperij normam: quæ porrò domestica virtus,  
Quam non culta regit pietas, & regula morum,  
Ex fundamentis doctrinæ, atque artibus haustam.  
Esse potest? natis qua prælucere parentes,  
Inq; timore Dei & vita prudentibus actis  
Informare rudes animos, ignaraq; debent  
Pectora, quæ magnificant plantaria cœl*e*,  
Cultoresq; Dei post in statione parentum  
Succedant, animis paribus, famamq; parentum  
Extendant seros, opera virtutis, in annos,  
Atque alios ex se simili pietate nepotes  
Educant, hominumq; genus cum stirpe propagent,  
Quod potis ingentem cœli sarcire ruinam,  
Et patriæ prodesse, Dei que extendere honorem.

Sed, ne cuncta rudi videar comprehendere versu,  
Dum vito ambages, spacijisque inclusus inquis  
Magnarum vix summa sequor fastigia rerum:  
Quis seriem mundi, et veterum monumenta viroru,  
Aut numeros nosset? stellasue sub ætheris axe,  
Errantemue polo lunam, solisq; labores?  
Quisue potestates herbarum, ysumq; medendi?

Quis

Quis fandi formas? veterumq; reperta sophorum,  
 Atque alias teneat, sine præceptoribus, artes?  
 Humana, quarum tanta ornamenta resurgent,  
 In vita, factisq; hominum: laus ista scholarum est:  
 Quas ob idem meritò coluit memoranda vetustas,  
 Primæuiq; patres; quorum vita atque labores,  
 Nil nisi sancta schola, & virtutu exēpla fuerunt,  
 Quando, vel in domibus magnisue in cœtibus acti,  
 De pietate rudes & relligione monebant,  
 Et causas rerum, & naturæ arcana docebant.  
 In quorum casto solitus se ostendere cœtu,  
 Des sanctis quando sermonem rebus habebant,  
 Ipse Dei Natus, cœu magni tecta subiuit  
 Abrahæ, & sancti inuisit tentoria Lothi,  
 Credibile est illis, sub primi exordia mundi,  
 Ante Nobæ stirpem, & dispersas vndique gentes,  
 Vsque adeo longæ fato data tempora vitæ,  
 Ut res ætherias, & summi opera ardua Regis,  
 Doctrinasq; alias, magnum memorando per orbem  
 Proueherent, multaq; insignes arte nepotes  
 Efficerent, qui diæta patrum, successibus eui,  
 Porrò illustrarent: sic rerum doctus Ioseph,  
 Ad septemgemini stagnantia flumina Nili  
 Iurafenes docuit, doctrinasq; arte retexit.  
 Duxq; gregis Moses, diuūm cœlestibus aclus

Augurijs

## ACTIO.

85

Augurijs, diuina penes sacraria classes  
Instituit, ritusque sacros & iura doceri,  
Et linguae fontes sacræ præcepit, & acti  
Temporis historias, naturæq; abdita rerum,  
Concentusque modum varij & discrimina vocum,  
Atque vias Solis rapidas, Lunæq; meatus,  
In se se rediens queis circumvoluitur annus.  
Hæc schola quingentos millenosq; insuper annos  
Floruit: hic vatem Samuelem eduxerat Heli,  
Inspectorum operum & magni successor Eliæ  
Agmina discerunt magna informabat Elisa.  
Hinc alij ex alijs, successu temporis æui,  
Sacra propagabant Yates cœlestia, & arte  
Formabant animos iuuenū: hinc quo turba leo num  
Viso deposita rabiem, insontiq; pepercit,  
Egressus Daniel, magnorum pectora regum  
Erudit dictis sapiens, Babylonis ad vndas,  
Magnus vbi Euphrates Tigridi se flumine miscet:  
Nec porrò erubuit, liber Babylone reuersus  
In patriam, reducis populi dux inclitus, Esdras  
Collapsas reparare scholas, neglectaq; sacra  
Instaurare loco, verumq; extollere cultum  
In populo: quin ipse noui qui fœderis esse  
Debebat testis tuus & præcursor Téſu  
Sacra è stirpe Leui, steriliq; è matre Ioannes

D

Ortus,

Ortus, ad Engaddi loca culta, & Iordanis annem,  
 Fertur ab Ezechias doctrinam huius magistris,  
Qui loca claras scholis Elisei ibi forsitan habebant,  
 Nemo etenim, qui non sub præceptoribus ante  
 Doctrinam didicit, doctrina profuit orbi.  
 Ille etiam solito yatum pro more priorum,  
 Discentes numero populi selegit ab omni,  
 Instituitque rudes, Christoque affuefcere iussit.

Sed non villa scholas exempla illustrius ornant,  
Quam quoddam eas quondam vilis dum corpore seruit  
 Viueret in terris, tanto dignatus honore est  
 Filius ipse Dei ut, circum resonante theatro,  
 In patria sanctum munus Doctoris obiret,  
 Nil veritus iussum in ludo tractare laborem.  
 Mox etiam per bisseros diuina ministros  
 Dona retexebat mundo, summique parentis  
 Iussa reuelabat, non deficiente per orbem  
 Discendum cœtu, in sanctis congressibus, urbis  
 Siue Ephesi, siue Antiochi de nomine regis  
Quam dixerit: vel ad Pharij vicina Canopi  
 Ostia, ubi primum Pantænus sacra professus  
 Dogmata proposuit rudibus præceptor ephebis,  
 Pluribus inque locis alijs, ubi docta celebres  
 Turba frequentantum ludos, animumque colentum  
 Doctrinis, semper fuit, ex alijsque subinde

Instaurata

Instaurata scholis alia est, formataq; pubes,  
 Non solum in cœtu sancto è propagine Semis,  
 Cui pia religio, veræq; oracula salutis  
 Credita constabant: sed enim diuersa per orbis  
 Agmina, diuersæ coluerunt optima gentes  
 Doctrinae studia, ausæ alacres ad sidera mentes  
 Tollere, & arcanas rerum perquirere causas,  
 Virtutumq; habitus scrutari, atque aurea vita  
 Præcepta, et morum facilem præscribere normam.  
 Multi etiam proceres, & magno pectore reges  
 Exciti meritis atque utilitate scholarum,  
 Ante redemptoris tenera incunabula Christi,  
 Non tam diuitias & regna opulenta tueri,  
 Quam studia atque artes regnis imponere, curam  
 Suscepere, scholasq; loco discentibus apto  
 Constituere palam, & doctrinæ artisq; peritos  
 Munifici precio eximio fouere magistros.

Ante alias populos, extra confinia gentis  
 Ebreae, veteres fama celebrantur Athene,  
 Ingenuas propter doctrinæ nobilis artes,  
 Et decus eloquij, & præclara inuenta sophorum,  
 Vatumq; eximios doctorum propter honores,  
 Namq; ibi Socraticas resonabant pulpita cartas,  
 In precioq; fuit magnis schola docta Platonis,  
 Quam villa in patria statuit, Musisque dicauit.

D 2 Hanc

Hanc verò excoluit, sumtuq; & mænibus altis  
 Extulit Hipparchus: tum temporis, optimus illic  
 Interpres magnæ Sophiæ, & multiplicis artis  
 Autor, Aristoteles penetralia docta Lycae  
 Nymphæiq; scholam sublimis honore regebat,  
 In qua magnanimi siboles generosa Philippi  
 Magnus Alexander vitam formabat ab arte,  
 Ingeniumq; sagax doctrinæ emolliit ysu.  
 Parte alia, quæ mundi caput inclyta Roma  
 Ostentabat ouans, fandi præcepta professis,  
 Quiq; bonas artes & legum iura docebant,  
 Aurea præbebant sedem Capitolia doctis.  
 Ex illo studia atque artes creuere per yrbes  
 Europæ atque Afriæ: namq; ut data secptra tenebat  
 Imperij AVGVSTVS, quæcunq; infædera gentes  
 Imperij acciperet, simul his præficit ut essent  
 Quorum doctrina & culto sermone iuuentus  
 Exculta ornaret virtutem, & legibus æquis  
 Imperij sciret parere, & iura vereri.

Nec minus Aenios princeps Traianus honores  
 Sumtibus erexit largis, qui quinque per orbem  
 Millia selectæ pubis doctoribus vltro  
 Addidit egregijs, & eos tolerare laborem  
 Addiscendi artes voluit, studysq; vacare,  
 Ut ne qui officijs venturo tempore deessent

Instructi

Instrucl*i* virtute viri, rerumque periti.

Talis erat regni moderans Adrianus habenas  
Romani, qui diuersis in sedibus orbis  
Instituit ludos doct<sup>or</sup>um, & munera doct<sup>or</sup>is  
Larga dedit, quorum castas extunderet artes  
Ingenij labor, & pubem sapiente poliret  
Eloquio: velut econtra de nomine *IVL I*  
Dictus, & aeternum Christi oppressurus honorem,  
Christiadum ludos clausit, sanctamque iuuentam  
Artibus institui v<sup>e</sup>tuit melioribus hostis,  
Quem tamen excussum scēptris regnoque tyrrannum  
Omnipotens Erebi tristes detrusit ad umbras,  
Protexitque scholas, aliosque exinde patronos  
Heroes regesque illis selegit, vt essent  
Qui doctas hominum repararent usibus artes,  
Ne studia attraherent forsan turbata ruinam,  
Principuē postquam tempestas saeuia Gothorum  
Hunnorumque graues terra in Germanide strages  
Ediderat, Musasque sua de se fugārat,  
Barbarie capiente locum, & turbante tumultu  
Omnia: tum verò natus genitore Pipino  
*CAROLVS*, auspicio diuūm, & virtutis auct<sup>or</sup>is  
Excitus stimulis, pulsas in regna Camœnas  
Restituit, studysque nouos indixit honores:  
Idem Teutonice proceres, regnique clientes

D 3      Romani,

## GRATIARVM

Romani, illexit diclis, animosque volentes  
 Impulit, ut ludos iuuenum, catusque scholarum  
 Erigerent, artesque bonas, doctosque souerent  
 Gratia & ære viros: hinc se nouus extulit orbi  
 Artium honor, preciumque suum et sua gratia castis  
 Exhibita est Masis: hinc tot monumenta supersunt  
 Et libertates, & priuilegia doctis  
 Tum concessa viris, procerum regumque fauore:  
 Fas etenim immunes hos atque impune quietos  
 Præstare, atque decus laudemque reponere, quorum  
 Illustrat magnum præclara scientia mundum,  
 Et parere Deo, & castam traducere vitam  
 Ritè desbet: quem non horum miseraio tangat?  
 Ingenuum qui vltro discendi propter amorem,  
 Dulce solum patriæ linquunt, rerum omniū egeni,  
 Resque suas, vitamque, in aperta pericula mittunt,  
 Ut profint alijs, artesque docendo propagent.  
 Felices animi, studiorum qui bona norunt,  
 Quique loco patrum sanctos voluere magistros  
 Esse, quies illis sit, in urna & perpetuum ver,  
 Nam præceptores, diuosque, patresque merendo  
 Aequare, haud opis est hominū: laudatur Achilles  
 Qui in regno esse parem voluit sibi honore magis  
 Phœnicem, Critoque suum non passus egere stru  
 Socratem, quo doctus erat: quin ipse Platonii

Gratus

A C T I O.

Gratus Aristoteles altare in honore sacravit.

Auratas alij vera sub imagine formas

Doctorum posuere donii, templisue dicarunt,

Proq; immortali merito immortalia ysdem

Præmia redentes vinoque & thure litarunt.

Tademetia, quamuis serò, his sua munera terris

Sparsere Aonides, doctæg; in honore reponi

Ceperunt artes, quas in Prutenidos oram

Inter & armorum strepitus, insanaq; Martis

Prælia, Teutonici Mariano ex ordine fratres

Intulerant primi, sed eas maioribus ausis

ALBERTVS princeps, ad amœni flumina Preglae,

Mons biftdo incumbens ubi Regius adiacet anni,

Extulit, ag; situ & fædo squalore leuauit,

Diis genitus princeps, quem tristis funere raptum

Deslerunt Musæ, & studia inclinata nitorem

Amisere suum: quin carmina mæstus Apollo

Abiecit, mutamq; chelyn confregit, & atro

Inlyta defuncti testatus funera luctu,

Nulla parem Alberto tibi Prussia secla tulerunt,

Secula nulla ferent, dixit, simul aurea condens

Lumina, in æquoreis mæstum caput abdidit vndis.

Nunc ad vestra Patres patriæ pia facta reuer-

Quorum maiores & avi, quo tempore primū (tor,

Teutonia e terris has lucem sparsit in oras

Noticiam;

## GRATIARVM

Noticiamq[ue] sui & Musarum inuenta retexit  
 Omnipotens genitor, magnorum exempla secuti  
 Heroum, intra urbem studia admisere, locumq[ue]  
 Et templa hic castis voluerunt esse Camœnias,  
Quas sorte ex illa vos, non sine numine divum,  
 Immensos propter fructus & commoda vitæ  
 Mortalis, quorum quædam memorauimus antè,  
 Fouistis placide, & placidis in sedibus illas  
 Vitam agere innocuam, atq[ue] artes proferre dedisstis.  
 Vos etiam meritis operosas sumtibus artes,  
 Egregiosque viros, quorum labor utilis urbi est,  
 Atque alacris, quorum pietate fideq[ue] iuuentus  
 Multiplicem excolitur patriæ cūmunis ad usum  
 Ornatis, dignoque loco studia optima habetis,  
 Nec solum vestri quos constituere parentes,  
 Maioresq[ue] olim, solita bonitate fouetis.  
 Discentum cœtus: quin & noua ponere tecta  
 Pieridum studijs, vos haud piget, & loca, nuper  
 Ventribus & falsis monachorum ritibus apta,  
 Doctrinæ excolitis sanctum melioris ad usum,  
 Atq[ue] exercity studiorum illa esse iubetis,  
Quatenus in vestro loca sunt ea iure, nec usum  
 Eripunt pigri Latiae Babylonis alumni.  
 O vos felices, quibus hæc sub pectore cura,  
 Vertitur, & diuīm stimulis impulsa volentes

Excitat,

Excitat, ut bona Pieridum, fontesq; bonorum,  
 Ex Heliconis aquis hanc dcriuetis in Vrbem,  
 Et decus ex studijs, quo non præstantius ullum  
 Vestræ Vrbis decori extimio famæq; paretis,  
 Vnde venit geminatus honos, & gloria Vestræ  
 Nominibus, lausq; hinc veniens illustrior exit  
 Vesta: velut gemini vasto sub gurgite loti  
 Incedant pariter cælo, & capita alta tremiscant,  
 Luciferi, ætheriam geminantes lumine lucem,  
 Atque diem mundo sole exoriente ferentes.

Nec vos pœniteat tantum, quo gloria Christi  
 Afferitur, regnumq; poli capit incrementum,  
 Continuare decus, quamuis despecta ferantur.  
 Iudicio vulgi indocto præclara scholarum  
 Commoda, & Aonides dura nunc sorte premantur,  
Quando alibi exilio docti multantur acerbo,  
 Turbanturq; scholæ furijs & fraude Cyclopum,  
Qui pietatis opus duris incudibus aptant,  
 Atque Eridos pomum, & fatalia fulmina cudunt,  
 Agmina sancta quibus feriantur, & omnia latè  
 Christiadum in terris subitam confusa ruinam  
 Ponè trahant: tales terrarum excindito pестes  
 Christe potens, & eas ad tristia Tartara mitte,  
 Cynthius ut quondam cum cæde et sanguine fratres  
 Aetnæos fertur Stygium trusiss' sub Orcum,

E. Quando

## GRATIARVM

Quando aliter nequeunt victi quoque cedere vero.  
 Hæc quanto sœvit magis indefessa malorum  
 Improbitas, tanto vos has impensius æquum est  
 Conseruare scholas, quarum labor omnis, & omnis  
 Cura, fidem Christo instruere, & proferre docendo  
 Ingenuas, demitis doctrinæ ambagibus, artes,  
 Inter dilectæ Christo tenent agmina pubis,  
 Quam bonus ad se blandæ sermone Redemptor  
 Allicit, inuitatq; vtrò, & venientibus, vtrò  
 Accurrens, lætis illos complectitur vniis  
 Quiq; illos prohibent, Christoq; abducere tentant,  
 Hos iusto absterret zelo, atque his obstruit ora.  
 Ille scholis etiam castis nunc præsidet, ille  
 Præsentem nostris vtröse cætibus infert,  
 Exauditq; preces infantum & balba sonantum  
 Vota patri dñiūm: nostros videt ille labores,  
 Per quos illustri renouat sub imagine lucem  
 Menti bus, vnde homines primos excusserat ater  
 Spiritus, ac tristi caligine se pferat intus  
 Noticiam mentis, quæ, ceu denso obsita nymbo  
 Delituit quondam fusca inter nubila Phœbe:  
 Aut veluti speculum, nulla quod ab arte politum ē,  
 Sic obscurata est: sed enim lustrata per artes  
 In ludis, iterum superas euadere in arcis  
 Audet, & inde nouas naturæ acquirere vires.  
 Namque

Namque velut quassata graui fax ignea motu  
Diffundit latè iubar, & resplendet in auras:  
Sic animus motu doctrina, atque arte magistra,  
Excitus lucem capit, ingenijq; tenebras  
Discutiens latè spargit sua lumina terris.  
Nec labor est Christo gratus magis, aut magis orbi  
Vtilis, hoc ipso, quo seq; suiq; perennem  
Noticiam humano generi transfundit, & artes,  
In quibus est summi gratissima fama parentis  
Vndique sparsa, orbi manifesto in lumine tradit,  
Donaq; perpetua, & semper mansura ministrat,  
Quæ sors nulla mouet, que nec Iouis ira, nec ignes  
Exitio vertant, sed enim quæ laude sua stant  
Perpetuò, atque suis laudem cultoribus addunt  
Perpetuam: cedant illis ditissima terræ  
Regna, & opes, quales Ganges, aut turbidus auro  
Voluit agens Hermes, rutila aut Paclolus arena,  
Vel quas aurifero seruat sub gurgite Daurus,  
Mediaq; Egiq; Arabes, Erythæaq; tellus.  
Quantum etenim potior mortali in corpore regnat  
Mens hominū, & mentis ratione carentia vincit:  
Quantum fortunæ donis potiora feruntur  
Dona animi: quantum nocturnis distat ab umbris,  
E tenebris quoties iubar exerit auricomus sol:  
Tantum animi cultura, & diafscientia rerum,

Thesauris opibusq; breui pereuntibus anteit.

O pius & sanctus Vitæ status, arbiter æui  
 Quem Deus instituit: quem summi Patris imago  
 Filius ornauit: quem sanctus munere Flatus  
 Multiplici illustrans donis insignibus auget,  
 Quem longæua patrum series, & numine pleni  
 Egregij vates olim excoluere docendo,  
 Et populi regesq; simul præstantibus illum  
 Ornarunt meritis, qui dum bona publica præstant  
 Sponte scholis, vitamq; boni sortemq; tuentur  
 Doctorum, à doctis nomen famamq; perennem  
 Accepere, & habent aliquem benefacta regiessum:

Vos quoque, dum meritis illos æquare studeis,  
 Vestra, Patres patricæ, studijs impensa beatis  
 Præmiaq; & benefacta, animiq; benigna volūtas,  
 Despectas erga fatali hoc tempore Musas,  
 Perpetua extollent fama, quam, si qua futura est,  
 Posteritas grato quondam celebrabit honore,  
 In vestrasq; pij laudes Helicona mouebunt,  
 Musarum decus, & diuorum cura, Poëtæ.  
 Interea omnipotens, cuius sub numine tutæ  
 Immotæque scholæfatorum in turbine perstant,  
 Quique has Aonidum sedes humilesque penates  
 Haec tenus assertas dedit, in belloque lueque  
 Pestifera, Inuidiæq; aduersum friuola texit

Confilia,

Consilia, insidias prohibens, artesq; latentes:  
 Nusq; aberit vobis, tutosq; per omnia ducet.  
 Credite, & haec animis proceres infigite vestris,  
 Donec honoratas vester fauor afferet artes,  
 Vtilium donec vobis pia cura scholarum  
 Cordi erit, haec donec studia inconcussa manebunt:  
 Huius & vrbis bonos, et publica iuncta manebunt  
 Commoda priuatis, seseq; in pristina reddent,  
 Hacque est sede prius summis Libethrides alis  
 Eiectae fugient (omen conuertat in hostes  
 Rex superum) diris quam cladibus implicet vrbem  
 Sors aliqua, intentetue aliquam conuersa ruinam,  
 Namque suastat in excubis pro gente Michaël,  
 Discentumq; tegunt cœtum flammantia cœli  
 Agmina, cœlestis veluti custodia, muros  
 Dothanæ, vallo flammanti cinxerat, vrbis,  
 Quæ vatum cœtus, pietatis amore, fouebat:  
 Utq; cadus viduae, vatem pascens Eliam,  
 Aeriferæ quondam rigua in conualle Sareptæ,  
 Semper abundabat succo pallentis oliuae,  
 Semper & exhibuit cum polline testa farinam:  
 Sic dum Pierios Respublica pascet alumnos  
 Vestra, nihil capiet Respublica detrimenti  
 Vestra, neq; ex opibus, queis publicus indiget usus,  
 Dura superueniens quicquam decerpit egestas.

Quandoquidem benefacta hominū Deus oīa cernit,  
Proq; pīs æquus meritis sua præmia reddit.

Nunc, quia tēpus in hoc nostri instauratio ludi  
 Vix tandem artificum sero reparata labore est,  
 Iamq; superueniens operi nouis incipit annus:  
 Nos tibi summe Pater diuīm, cum compare Nato,  
 Flamine cumq; sacro, quis ceptra potentia mundi  
 Trinus & vñus habes; tibi nōs grato ore, pioq;  
 Pectore coniuncti grates laudemq; sonamus:  
 Quod trepidos inter quatientes regna tumultus,  
 Dum premitur duris afflcta Ecclesia dannis,  
 Erroresq; modum doctrinae nesci oberrant:  
 Ipse tamen sanctum in mundo tibi colligis agmen,  
 Hospitiumq; tui cœtus per inhospita seruas  
 Agmina: & insidias Sathanæ fraudesq; malorum  
 Destruis, atque tuos mediocri in pace tueris.  
 Tu tibi in his etiam regnum diuinitus oris  
 Doctrina resonante paras, atque artibus illud  
 Instruis, ex adyto cœli quas ipse dedisti,  
 Et quibus heroas pīssim, fidosq; patronos  
 Sufficis, ut grati studijs tecla hospita seruent,  
 Addictosq; pīj studijs tueantur alumnos.  
 Te duce se legum iussis tenet excita pubes,  
 Atque animos veræ pietati atque artibus vltro  
 Applicat, haud nostriq; abeunt sine fruge labores.

Te,

Te, cui nos parere iubes, viget auspice regnum  
Sarmatiae, nec adhuc crudelibus occubat armis,  
Sed Mosci violenta premit consulta tyranni,  
Victriciq; manu crudelia vindicat ausa  
Raptoris, pacemq; suis procurat alumnis.  
Hinc patria hæc, castig; lares, atque oppida cōstant  
Atque Urbes: vita hæc etiam, concessaq; vite  
Commoda, qua soli tibi nos debere fatemur:  
Teq; pijs animis & voce in vota vocamus,  
Nunc o nunc etiam fessis ne defice rebus  
Alme Pater: sint templa tibi, sint hospita curæ  
Tecta tibi, quibus irradians tua dogmata spargis,  
Atque beatorum numero felicia comple  
Atria, eosq; tibi ciues transscribis Olympo.  
Tu defende scholas, atque hæc aluearia serua,  
Vnde tibi assiduus labor & pia cura docentum  
Educunt habiles ad munia publica fœtus,  
Quorum operas ne fors deformis rumpat asylus,  
Dulcia neu turbent stipantum mella crabrones,  
Neu figant in apes sua morfus spicula Vespæ,  
Tu prohibe, doctisq; auerte his sedibus actam  
Barbariem: docili sanctos concede Iuuentæ,  
Cœtibus in nostris, mores, vitamq; pudicam,  
Huicq; schole impensas operas, fidosq; labores  
Prouehe, & hanc Rector fidissimus ipse gubernar,

Te

Tesine, nostra nibil quoniam conamina profunt.

Tum qui regales regni moderatur habenas  
 Sarmatici, Regem, & cuius se fortibus ausis,  
 Terra afflcta diu Liuonum submittit, & hostis,  
 Hoc vielore, audet contemnere prælia Mosci,  
 Tu tege, & egregijs illum conatibus imple,  
 Ut Scyticas ultra gentes Tanainq; niuosum,  
 Proferat imperium, & crudelia conterat arma.  
 Immanis populi, quem iam tum vocibus acla-  
 Fatidicis horret tellus Germana, paucq;  
 Sed bona tranquillæ tueatur commoda pacis  
 Vrbibus in nostris, subiectasq; afferat oras  
 Imperij, quo se turba augustissima pacis,  
 Religio & Pietas, legumq; verenda Potestas,  
 Atque Amor, atque triplex concordi Gratia nexu,  
 Virtutesq; aliae, & studiorum grata voluptas,  
 Quæ sub pace vident, tutam hoc sub Rege quietem  
 Sponte agitent, hominesq; pijs se moribus oruent.

Præterea regni proceres, aulæque potentes,  
 Qui consulta super dubijs impendere rebus  
 Non dubitant, regniq; alacres bona grata pcurat,  
 Instrue consilijs, & sancto robore firma,  
 Ut regni sortem & commissa negotia fidis  
 Illustrent factis, & publica commoda præsent.  
 Nostræ etiam patres Vrbis, sanctumq; Senatum,  
 Coniunclosque

ACTIO.

31.

Coniunctosq; status ciuili ex ordine lectos,  
Officijs quorum salua hæc Respublica durat,  
Excultæq; scholis veniunt felicius artes,  
Tutare imperio placido, cæptisq; benignus  
Annue, & acta bonis rerum successibus auge  
Grande quibus se se decus efferat urbis, honosq;  
Altius ingrediens sensim ad sublime feratur,  
Et placido ciues reliquos, castosq; penates  
Euchat auspicio, & tranquilla in sorte reponat,  
Ut gratos, magno pro munere regis Olympi,  
Educant natos hæredes ætheris alti,  
Ad serosq; Dei recidat doctrina nepotes,  
Semper in hac alysque scholis resonante Lycaeо  
Vota Dei, & sanctas studys monstrantibus artes.

CORONIS.

Ne pagellæ sequentes vacarent, adjicere placuit  
pauca alia, ab argumento præcedentis  
scripti non aliena.

DISTICHON

In vestibulo scholæ ascriptum.

Hæc domus est Christo studijsq; dicata, Iuuentæ,  
Nemo sacrum violet dedecoretne locum.

F

DE

DE SCHOLÆ INSTAVRATIONE  
EPIGRAMMA.

Vilis erat nuper, doctisq; incommoda Musis,  
Hæschola, & informis qualida tota situ.  
Nunc renouata nouam lucem, noua cōmoda Musis  
Exhibit, absterto culta nitensq; situ.  
Felix, qua florent Musæ, pia cura Senatus,  
Atque Patrum, quorum sumtib. aucta schola ē.  
Donec in hac studijs locus est illustribus urbe,  
Donec in hac habitat Pieris ylla domo:  
Sanctus honorata florebit in Urbe Senatus,  
Deficiet sumtus copia nulla Patres.

ALIV D.

IN FORIBVS SCHOLÆ  
ante ædificij instaurationem.

Pyramides iacent alij, Pariasue columnas,  
Aureaq; Idæo templa dicata Ioui;  
Hæsacra est Christo sedes, studijsq; Iuuentæ,  
Cui sua promisit cœlica regna Deus.  
Non auro vult ille coli, teclisue superbis,  
Est humilis, humili gaudet adesse gregi.  
Donee in hac Christus residebit sede, Iuuenta  
Donec in hac artes cum pietate colet:  
Cedant Pyramides illi, Pariaeque columnæ,  
Et posita Idæo maxima templa Ioui.

ENCO.

ENCOMION BONARVM AR-  
tium ab exemplo Dionysij regis Siciliæ,  
qui regno pulsus ludum Corinthi  
aperuit.

Quid profint artes, homini quæ commoda præstent,  
Exemplo Siculus rex probat ipse suo.  
Pulsus hic è regno teneros præceptor ephæbos  
Pro precio doctis artibus erudit.  
Artibus, à teneris animo quas hauserat annis,  
Quæq; suum posthac obtinuere decus.  
Namque illis inopem potuit traducere vitam,  
Exilij comites has habuitq; sui.  
Absque illis tristem vixisset in orbe senectam,  
Pauperie nullos suppeditante cibos.  
Quisquis es ingenuas addisce fideliter artes,  
Hasq; alijs longè præfer in orbe bonis.  
Nam solida hæ præbent bona: qui sibi cōparat ar-  
Subsidium vitæ postmodò diues habet. (tes,  
Eripit interdum tempus bona patria nobis,  
Et misera vitam vivere sorte sinit.  
Sed firmum vitæ, quo non præstantius ullum,  
Præsidium Musæ suppeditare solent:

F 2      Nota.



## NOTA.

Supra pag: 20. versu 9. & sequentibus aliquot,  
locus est expressus ex verbis priuilegijs à Friderico  
huius nominis primo, Imperatore Romano bona-  
rum artium studiosis & doctoribus concessi, cuius  
*Authentica inserta* est lib: 4. C. tit: *Ne filius*  
*pro patre, his verbis:*

Omnibus qui causa studiorum pe-  
regrinantur, scholaribus, & maximè  
diuinarum & sacrarum Legum pro-  
fessoribus, hoc nostræ pietatis bene-  
ficium indulgemus, vt ad loca, in qui-  
bus literarum exercentur studia, tam  
ipsi quam eorum nuncij veniant, &  
cum eis securè habitent. Dignum  
nam existimamus, vt cum omnes  
bona facientes nostram laudem &  
protectionem mereātur, quorum sci-  
entia totus illuminatur mundus ad  
obedientiam Deo, & nobis eius mi-  
nistris vita subiectorum informatur,  
quadam speciali dilectione ab omni  
iniuria

iniuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiae exules facti, de diuitibus pauperes semetipos exanimiunt, vitam suam multis periculis expontunt, & à vilissimis sæpè hominibus (quod grauiter ferendum est) corporales iniurias sine causa perferunt. Hac igitur generali & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inueniatur, qui aliquam scholaribus iniuriam inferre præsumat.

*Et de immunitatibus literatorum extat lex Constantini, lib: 10. C. cuius hæc sunt verba:*

Medicos, & maxime Archiatros, Grammaticos, & professores alios literarum & Doctores legum, vnâ cum vxoribus & filijs, necnon & rebus, quas in ciuitatibus possident, ab omnibus oneribus, vel ciuilibus vel

F 3 publi-

publicis, immunes esse præcipimus,  
& neque in prouincijs hospites réci-  
pere, nec vlo fungi munere, nec ad  
iudicium deduci, nec eximi vel exhibi-  
beri, vel iniuriam pati: Vt si quis eos  
vexauerit, pœna arbitrio iudicis ple-  
ctatur. Mercedes etiam & Sala-  
ria eis reddi iubemus, quo faci-  
lius liberalibus studijs & me-  
moratis artibus multos  
instituant.

BERNHARDVS ZI-  
glerus in Orat: quadam de ne-  
cessaria coniunctione scholarum cum  
ministerio Ecclesiæ.

**H**ÆC tum nobis tum alijs inculcemos: Scho-  
las esse necessarias, ad pietatis religionis, sta-  
tus civilis, domesticæ etiam administrationis con-  
seruationem, &c.

Defendant igitur scholasticum ordinem Prin-  
cipes & Ciuitates, alant, protegant, munificentia  
sua

sua subleuent, vel potius extollant. Hic vero  
Principes & Ciuitates colat, ornet, celebret.  
Nam ciuilis & schola&stica administratio,  
sine pernicie Reip: diuidi ac diuelli non  
possunt. Hec ille.

FINIS.



DANTISCI:  
Excudebat Iacobus Rhodus,

M. D. LXXXII.

2  
3  
4  
5

Ex 55 Anadhi